iracundiam temperasse. Tantum uero priscę philosophiae studiis uis musicae artis innotuit. ut pytha
gorici cum diurnas in somno resoluerent curas quibusdam cantilenis uterentur ut eis lenis
et quietus sopor irreperet. Itaque expecti aliis quibusdam modis stuporem somni confusi
onemque purgabant. Id nimirum scientes quod tota nostrae animę corporisque compago musica
coaptatione coniuncta sit. Nam ut sese corporis affectus habet. ita etiam pulsus cordis

Demos populus, critos iudicium

motibus incitantur. Quod scilicet et democritus hippocrati medico tradidisse fertur
Cum eum quasi ut insanum cunctis democriti ciuibus id opinantibus in custodia medendi
causa uiseret. Sed quorsum ista? quia non potest dubitari quin nostrae animae et corporis
status eisdem quodammodo proportionibus uideatur esse compositus. quibus armonicas
modulationes posterior disputatio coniungi copularique monstrabit. Inde est enim quod infan
tes quoque cantilena dulcis oblectat. Aliquid uero asperum atque inmite ab audiendi uoluptate
suspendit. nimirum id etiam omnis aetas patitur omnisque sexus; quae licet suis actibus distribu
ta sint. una tamen musicae delectatione coniuncta sunt. Quid enim fit cum in fletibus
luctus ipsos modulantur dolentes? quod maxime muliebre est. ut cum cantico quodam
dulcior fiat causa deflendi. Id uero etiam fuit antiquis in morem ut cantus tibiae

ad alexegas mortuas cum tibiis canebant.

luctibus praeiret. Testis est papinius statius hoc uersu. Cornu graue mugit adunco
tibia cui teneros suetum producere manes. Et qui suauiter canere non potest.
sibi tamen aliquid canit. Non quo eum aliqua uoluptate afficiat id quod canit. sed quod
quandam insitam dulcedinem ex animo proferentes quoquomodo proferant delectantur.
Nonne illud etiam manifestum est in bellum pugnantium animos tubarum carmine accendi.
Quod si uerisimile est. ab animi pacato statu quemquam ad furorem atque iracundiam posse

educi extra

proferri non est dubium quod conturbatę mentis iracundiam. ut nimiam cupiditatem
modestior modus possit astringere. Quid quod cum aliquis cantilenam libentius
auribus atque animo capit ad illud etiam non sponte conuertitur. ut motum quoque
aliquem similem auditę cantilenę corpus effingat. Et quod omnino aliquod melos
auditum sibi memor animus ipse decerpat. ut ex his omnibus perspicuę nec dubitanter
appareat ita nobis musicam naturaliter esse coniunctam. ut ea ne si uelimus quidem
carere possimus. Quocirca intendenda uis mentis est. ut id quod natura est
insitum scientia quoque possit comprehensum teneri.
Sicut enim in uisu quoque non sufficit eruditis colores formasque conspicere

diffinitio substantię uniuscuiusque rei

nisi etiam quae sit horum proprietas inuestigauerint. sic non sufficit cantilenis
musicis delectari. nisi etiam quali inter se coniuncte sint uocum proportione discatur.

Lizenz: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 298(119), p. 26 – Boetii geometria et musica
(http://www.e-codices.ch/de/sbe/0298/26)